

Dissertatio chirurgica inauguralis, exhibens duas observationes de fungoso excrescente ... / eruditorum examini submittit Didericus Lucas van Hattum.

Contributors

Hattum, Didericus Lucas van.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Trajecti ad Rhenum : Apud C. van der Post jrem, [1837]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/v8pwruwk>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO CHIRURGICA IN AUCTORITATE
SVAE CENSURAE
DE
FUNGOSO EXCRESCENTE

DISSERTATIO

CHIRURGICA INAUGURALIS.

DONNICUS LUCAS VAN RATTEN

TRAIECTI AD RHODANUM

MDCCCXXXIII

DISSERTATIO

CHIRURGICAE PRACTICAE

Ab Johanne Baptista

in Medicina Honoribus ac Privilegiis

ACADEMIAE MEDICAE PRAGENSIS

publice examinanda

EXAMINATORUM EXAMINATA

BERNARDUS LUCAS VAN RATTUM

in medicina honoribus

ab anno 1781 in medicina

in medicina honoribus

ab anno 1781 in medicina

DISSERTATIO CHIRURGICA INAUGURALIS;
EXHIBENS
DUAS OBSERVATIONES
DE
FUNGOSO EXCRESCENTE,

QUAM,
FAVENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,
LUDOV. GERHARD. VISSCHER,
PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.
AMPLISSIMIQUE SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Do *Gradu* *Doctoratus,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,
RITE ET LIGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

DIDERICUS LUCAS VAN HATTUM,
E PAGO SCHOONREWOERD.

DIE I M. JULII A. MDCCCXXXVII HORA V.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD C. VAN DER POST Jrem.

RESPECTUO CHIRURGIAE IN ALIQUA

ARTIBUS

PERACTAE

DE

FRANCOSO EXCRESCENTIA

DE

AVERTIT. SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGISTRUM

FRANCOSO EXCRESCENTIA

FRANCOSO EXCRESCENTIA

FRANCOSO EXCRESCENTIA

DE

FRANCOSO EXCRESCENTIA

FRANCOSO EXCRESCENTIA

FRANCOSO EXCRESCENTIA

FRANCOSO EXCRESCENTIA

FRANCOSO EXCRESCENTIA

FRANCOSO EXCRESCENTIA

FRANCOSO EXCRESCENTIA

FRANCOSO EXCRESCENTIA

FRANCOSO EXCRESCENTIA

FRANCOSO EXCRESCENTIA

FRANCOSO EXCRESCENTIA

FRANCOSO EXCRESCENTIA

PARENTIBUS OPTIMIS, CARISSIMIS,

NEC NON,

VIRO DOCTISSIMO

C. WINKLER.

MED. ET ART. OBST. DOCTORI VIANENSI, MEMBRO

SOCIETATIS RHENO-TRAJECTINAE ARTIUM AC

SCIENTIARUM, ETC, ETC.

HANC DISSERTATIONEM

OMNI OBSERVANTIA

D. D. D.

AUCTOR.

Forsitan haec aliquis (nam sunt quoque) parva vocabit,
Sed, quae non prosunt singula, multà juvant.

Ovid. rem. Amor. vs. 419—420.

Praefatio.

Cuique Academiae civi, studia relicturo, Doctorisque gradum petenti, officium impositum est, ut specimen quoddam progressuum suorum conscribat et defendat. Quum igitur et mihi venisset tempus aethnae Academiae sedi valedicendi, huic legi satisfactorius, diu in dubio versatus fui, quoniam de argumento scriberem. Tandem, ipsa dubitatione incertior, Cl. SUERMAN, Promotorem aestumatisimum, adii, qui mihi suasit, ut observationem de Excrecentia fungosa periostii, in Nosocomio Academico a me, auspice Viro clar., visam, cum annexa Epicrisi in lucem ederem. Huic deinceps alium casum, ibidem observatum, addere licuit, qui, forma externa priori similis, ab eodem tamen ipsa sede differebat. Sic igitur utriusque comparandi opportunitas dabatur.

Haec de scribendi causis et ratione. Restat autem, antequam ad argumenti expositionem accedo, ut dulci fungar officio gratissimum obtestandi animum erga Praeceptores exoptatissimos, quorum utilissimis praeceptis atque informatione frui mihi licuit. Vobis imprimis, Viri clarissimi N. C. DE FREMERIJ, SUERMAN, WOLTERBEEK, SCHROEDER VAN DER KOLK et ALEXANDER, non solum pro egregia atque humana institutione, verum etiam pro variis beneficiis, quibus me cumulastis, plurimum me debere, semper agnoscam. Tibi insuper sinceram ago gratias, clarissime SUERMAN! Promotor aestumatissime, pro benevolo auxilio, in hac scriptiuncula elaboranda mihi ostenso, aliisque humanitatis documentis, quibus me afficere voluisti. D. O. M. vos omnes, Viri cll. diu servet incolumes ad hujus Academiae gloriam, scientiarumque emolumentum.

Valete et vos, sodales carissimi, amici conjunctissimi, quorum suavissima familiaritate per plures annos gavisus sum. Nunquam profecto vos obliviscar; semper etiam mei sitis memores.

INTRODUCTIO:

Nullum fere distinctae morbi cujusdam notioni obstaculum majus opponitur, quam confusa et indeterminata ejus descriptio. Quod si in ullo Pathologiae argumento, in fungorum certe descriptione maxime observatur. Quot enim vitia, ad fungos relata, revera ab iis valde sunt aliena, et contra quot nomina et sententiae eadem mala diverse, at perverse separant! Unde hoc derivandum? Ratio in promptu est.

Saepe enim vidimus, post novum inventum alicujus morbi nomen specificum, morbos hoc nomine insigniri alios, quibus plane non convenit. Novitas nominis morbique descriptio ab inventore minus accurata causae salutantur hujus erroris. Saepe fieri

adhuc videmus, quod scripsit *Waltherus* in Germania, post quam *Clar. Hey* in Anglia nomen *Fungi haematodis* (1) tribuerat speciei excrescentiarum malignarum: » Bei uns, (inquit) erfreuet man an dem neuen Namen, und bemüht sich für ihn die unbekante Sache zu finden.» (2)

Primi observatores *Hey*, *Burns*, *Wardrop*, *Monro*, *Scarpa*, fungorum descriptionem dederunt, non ex ipsorum fabrica interna, accurate indagata, sed ex habitu maxime externo, nomenque petiverunt ex convenientia fungorum cum aliis organis, qua agendi ratione aliter vix fieri potuit, quin magna confusio oriretur.

Plerique praeterea, propter morbum minus recte intellectum, vix varia fungi stadia distinxerunt, quorum symptomata tamen toto coelo inter se differabant; ita ut ejusdem mali descriptio atque similitudines, quas alius observabat, non valerent de alius observatione. Hinc etiam explicandae tot sententiae litesque de quaestionibus, quae nunc conveniunt, nunc essentialiter dissentiunt.

(1) *Heij*, *Practical Observations on Surgery*. London 1803.

(2) *Journal der Chirurgie und Augenhilfkunde*, herausgegeben von *Graefe* und v. *Walth.* 5 B. 2 H. s. 190.

Sic Clar. Hey describit fungum medullarem sub nomine *Fungi haematodis* (1). Abernethy fungum medullarem vocat *Sarcoma medullare*, nec distinguit fungum haematodem (2). S. Cooper, prouti Hey, voce *Fungi haematodis* fungi medullaris descriptionem dedit, sed idem, errore miro, tanquam synonymon hujus morbi tradit fungum sanguinolentum (*bleeding fungus*), inflammationem spongoideam, (*Spongoid inflammation*), Carcinoma sanguinolentum, (*bleeding Corcinoma*) (3) Etiam Carolus Bell fungum medullarem designat nomine *Carcinomatis mollis* (*Soft Cancer*) (4). Eodem modo errat J. Wardrop, qui etiam nomine fungi haematodis hoc vitium cum fungo medullari confundit. (5)

Haec de Anglis. Neque inter Gallo-Francos Anatomico-Pathologi de mali accurata definitione magis consentiunt. Ita Boyer confundit fungum haematodem, medullarem, Teleangiectasiam et aneurysmia per anastomosin. (6)

(1) In opere laudato.

(2) Abernethy, *Surgical Observat.* Lond. 1804:

(3) *Chir. Wörterbuch* in voce.

(4) *Surgical Observations* by Ch. Bell. Part. IV.

(5) *Waarnemingen over den fungus haematodes* door James Wardrop, vertaald door v. d. Hout. Amsterdam bij Sulpke 1819.

(6) *Traité des maladies chirurgicales.* vol. 2.

Breschet describit fungum medullarem nomine fungi haematodis, tanquam varietatem Carcinomatis. (*Carcinome encephaloïde, sive cerebri-forme*) (1). Maunoir nomine fungi medullaris idem malum describit, sed fungi haematodis nomen tribuit teleangiectasiae degeneratae (2).

Facile quidem esset plures citatis auctoribus addere. Satis vero jam apparet, quanta notionum confusio circa argumentum de fungis inter illos habeatur. Laudes igitur Walthero, Viro clarissimo tribuendae omnino sunt, qui de industria studuit accurate distinguere inter indurationem, scirrhum, carcinoma, sarcoma medullare, fungum haematodem, teleangiectasiam et aneurysma per anastomosin (3). Abhinc revera nova lux in parasitarum cognitione affulsit.

Fatendum autem est, etiamnunc multas esse quaestiones de fungorum imprimis natura movendas, quarum nondum aperta habetur solutio. Licet enim Waltherus egregie eos distinxerit a malis affinis, quae forma externa eos quodammodo simu-

(1) *Diction. des Sciences Medicales.* in vòc.

(2) *Verh. over het mergachtig sponsgezwel, vertaald door v. d. Hout.* 1821.

(3) *Journal der Chirurgie u. Augenheilk. herausg. v. Gräfe. u. v. Walther.* T. V. p. 189.

lant, obscura tamen manet intima eorum natura. Desunt adhuc observationes microscopicae satis exactae, quae internam fungorum fabricam extricare valeant. Obscurum etiam est, quid de varia eorum sede sit autumandum, quid de effectu, quem differentia sedis in varios fungos exercet. Quod autem practico majoris etiam est momenti, vacillat adhuc accurata determinatio de malignitate variorum fungorum. Etiam si enim in genere statui possit, fungum medullarem maximam indicare malignitatem, attamen in casu dato non semper facile est in ipso aegro determinare, num vitium ad hoc fungorum genus stricte pertineat, num in eo stadio versetur, ut pro morbo, qui integrum corpus infecit, salutari debeat, an vero impune a corpore separari possit, ita ut cum ipso malo fomes dispareat. Idem de fungis induratis atque carcinomatosis valet.

Non est, quod in hac nostra disquisitione generalem quaestionum adeo gravium solutionem proponere in animo sit. Attamen in nosocomio nostro observationem memorare contigit, quae habitu externo insignem indicabat malignitatem et, carcinomatis instar, continuo augendo, ipsumque ad speciem corpus inficiendo, exhaustiando, consumendo vitae minitabatur. Amputatione membri aegrotantis facta, in integrum restituta est sanitas. Ita simul

simul occasio mihi orta accuratius examinandae mali sedis, quam in periosteo esse apparebat.

Brevi autem post et alter se casus in eodem Nosocomio chirurgico obtulit, qui, ratione formae externae, praecedenti apprime conveniebat. Malo etiam per amputationem liberatus aeger fuit. Hunc igitur casum cum praecedenti conferre in animo fuit. Quod enim memorabile est, cum forma externa utraque vitia inter sese convenirent, essentque et in eo similia, quod cum optato successu sublata fuerint, licet per longam jam perstitissent annorum seriem, eadem tamen sede admodum discrepabant, neque pro morbis sibi revera analogis salutari potuerunt.

Exhibebo igitur, in hac dissertatione, primum utriusque casus descriptionem. Gaudeo autem, me etiam prioris delineationem accuratam specimini subjungere posse. Qua in causa gratias ago quam maximas Viro doct. amic. H. C. A. L. Fock, qui, cognitionem anatomicam artificis aptitudini jungens, egregie vitium in tabula proponere voluit. Expositis morborum historiis atque scrutinio anatomico-pathologico, epicriseos loco, pauca quaedam disserendi de illorum morborum natura et curatione, nobis, ut speramus, erit facultas.

OBSERVATIO PRIMA.

Nicolaus van Lindt, sartor, annum agens 47, Anno 1811 nautae munere Euchusae fungens, contundebat malleolum externum pedis finistri. Contusio vi natura medicatrici committebatur. Paulo autem post, propter scabiem, susceptus fuit in Nosocomium urbis. Intumebat magis malleolus ac doluit. Emplastris frustra adhibitis, a chirurgo duae instituebantur incisiones profundiores, sed jam postridie (illo testante) vulnus gangraenescebat, quae affectio extendebatur ad suras usque, comitata doloribus vehementissimis et effusione ichoris notabili, atque exfoliatione ossis bis repetita. Corpus valde debile erat. Mutato auxilio chirurgico, cauterium actuale saepius

applicabatur, quo res in melius vergebat; sanatio autem retardabatur, incidente gangraena nosocomiali, a qua tamen sanatus fuit. Post tres in Nosocomio peractos annos hoc reliquit, vulnere ad floreni magnitudinem contracto.

Abhinc varia cum fortuna luctabatur contra vulneris extensionem, quod tamen inter floreni limites redigere nunquam contigit, semperque ichorem fundebat foetidissimum.

Tempore autem autumnali anni 1834 denuo malum limites extendebat. Cutis in eius circumferentia elevatur, livescit, inflammatur, ulceratur, perforatur; carunculis carnosus facile sanguinem fundentibus. Adhibito lapide infernali et liquore ei incognito, malum quotidie increvit; dolor vehemens est et lancinans; effusio ichoris notabilis; febre corripitur. Saepius de die queritur de sensu, ac si aqua frigida supra dorsum esset effusa. Ligamenta comprimantia fungorum excrescentiam luxuriantem impedire nequeunt. Auxilium tandem petiit in Nosocomio nostro Academico, ubi receptus sequentem nobis exhibuit statum.

Habitus corporis emaciatu, cachecticus, oculi tamen splendentes. Defluunt capilli; asthmate laborat. Glandulae inguinales a parte morbose affecta tume-

factae, in unicum, valde tensus conjunctae tumorem, non, nisi difficulter digito premente in quatuor lobulos dividendae, unde suspicio, ne hic fungus medullaris resideat. Licet ceterae functiones et organa naturalia essent, febrisque hectica membri amputationem indicaret, memoratus tamen glandularum inguinalium status contra-indicationem efficiebat momenti satis magni. Præter medicamenta conditioni ægri universali adaptata, topicæ fomentationes calidae in tumore applicabantur, eo effectu, ut post aliquot dies glandulae minus tensae essent, et, licet volumine auctae, singulae tamen bene sentiri possent.

Itaque, metu affectionis generalis liberatus, Cl. Suerman a n amputationem instituebat, favente mente aegroti tranquilla. Sectione circulari crus quatuor pollices infra patellam auferebatur. Sentiebatur in secundo tela cellularis indurata. Parte vulneris superiore, ossa tegente, post 13 dies bene juncta, pars inferior, fonticuli instar, per aliquod tempus suppurans tenetur. Levi encheiresi ligaturae arteriarum, extra vulnus ducta, extrahuntur. Vulnere trunci tandem perfecte clauso, exutorium applicatur in brachio et aeger satis bene valens domum suam [petit. Postea sanitas ad hunc usque diem, per tres ergo fere annos, integra mansit.

Examen cruris Anatomico-Pathologicum.

Partes, amputatione separatae, examini anatomico fuere subjectae, quod sequentia docuit.

Superficies aperta, ex qua carunculae excrescunt, longitudinem habet 12 centimetrorum, latitudinem a parte superiore 4, ab inferiore 10 centim. Carunculae carnosae hanc superficiem obsident majores, admodum vasculosae, fungiformes, quas inter dantur, quae diametrum exhibent 3—4 centim., ita ut integra excrescentia inde adspectum multilobulatum accipiat. Vasculosa illarum natura manifesta, imprimis facta injectione artificiosa vasorum, qua integrae rubent; magis etiam apparet, adhibita lente microscopica.

Ut vero propria mali sedes atque natura probius intelligerentur, imprimis autem ut efficeretur, quatenus os esset affectum, tibia ipsa serrae ope perpendiculariter fuit divisa. Ita autem egregie conspicere mali fomitem licuit. Scilicet ossis substantia corticalis paululum incrassata videbatur et densitatem eburneam referebat; caput autem tibiae aliquomodo distensum erat. Veruntamen haec mutatio pathologica non fuit perquam notabilis atque pars ossis medullaris atque spongiosa prorsus integra restiterat.

Ipsam autem periosteum, quatenus superficiem inferiorem atque interiorem obtegit tibiae, qua ad fibulam tendit, satis degeneratum apparebat. Scilicet ab osse aliquomodo erat separatum, cui hic illic per exiguas prolongationes adhaerere videbatur. Nova autem materies ossea, nunc quasi aciculos osseos offerens, nunc vero stratum paulo densius, hujus separationis causa erat. Periosteum, satis incrassatum, obtegebatur a parte exteriori materia nova, fibrosa ac perquam vasculosa. Neque haec consistentia sua materiem encephaloideam s. medullarem simulabat; sed erat densior, ac si medium teneret inter materiam tuberculosam, quae in hepate frequens est, atque fibrosam, qualis in uteri fundo non raro generatur. Vascula per mediam eam penetrabant. Hinc et integra massa, facta injectione artificiosa, rubebat.

Musculi ac tendines, ipse adeo tendo Achillis cum malo confluebant. Tela adiposa in vicinia valdequam erat incrassata et naturali densior. Carunculae autem carnosae manifesto ex eadem illa nova substantia, excreverant, postquam haec, volumine aucta, cutem consumserat atque ad cruris superficiem externam evolvi coeperat. Imo vero, hisce carunculis profun-

dus radices agentibus, in majores quosdam lobos dividebatur malum parasiticum.

Ex hac igitur descriptione anatomico-pathologica, conclusio praesto nobis esse videtur, periosteum imprimis et a parte externa et interna mali sedem fuisse.

OBSERVATIO ALTERA.

Gijsbertus Roks, viëtor, annum agens 39, combusserat annò aetatis secundo pedem sinistrum. Cura autem chirurgica neglecta, digiti inter sanationem reflectebantur et plantae pedis applicabantur. Praeter hanc difformitatem remansit ulcus ad partem plantae anteriorem magnitudinis unius poli., quod, nunc apertum, nunc vero clausum, praeter dolorem, praecipue si clausum esset, nullum afferebat incommodum.

Anno 1822 inopinatim genu sinistrum intumebat sine ulla causa manifesta. Absque medicamentorum adhibitione detumuit genu, sed nunc aeger valida corripitur febre intermittente, primum quotidiana, postea typum irregularem assumente. Singuli paroxysmi sese annunciant, praeter symptomata vulgaria, dolore lancinante

vehementissimo in utroque crure; ab illo comparato punctioni acuum candentium, qui vero remittebat post calorem ingressum.

Per novem menses febrem passus, hanc sustulit ope medicamenti, in patria nostra inter plebem valde usitati, spiritus nempe juniperi cum pipere nigro. Huius liquoris quantitatem unc. X. ingerebat, cum portio minor jam semel finem optatum recusavisset. Ulcus interim, magnitudine auctum, nunc apertum, nunc clausum, nunquam perfecte sanari potuit.

Anno 1832 denuo febre corripitur. Repetitur medicamentum jam memoratum, sed, certitudinis et deliciae causa, dosi majore unc. nempe XX. Abstinit omnino febris, sed ab eo inde tempore ulcus naturae evasit valde malignae. Extendere suos limites coepit. Saniem foetidissimam fundit magna quantitate. Valde dolet. Natura, cui soli curatio committebatur, inefficacem sese praestabat.

Anno 1834 fungorum excrescentia malignitatem mali aperte annunciabat. Attactu fungi facile sanguinem fundunt. Interdum summitates lobulorum in gangraenam transeunt. Insurgunt dolores, maxime tempore vespertino. Auxilium petit chirurgicum. Adhibentur caustica varia, Aqua calcis, Sulphas zinci,

sed frustra; dolorem afferunt intolerabilem, nequam autem cohibent fungos luxuriantes, qui, quotidie praecedentis diei limites transgrediuntur. Topica adhibitio infus. florum chamom. in initio dolorem imminebat, postea vero nullum attulit levamen. Eadem symptomata usum spir. vini sequebantur, quo imprimis odor quam maxime ingratus, corrigebatur. Post spir. vini applicationem, denuo infusio flor. chamom. opem afferebat. Sic constanter medicamenti mutatio dolorem in initio imminuit, brevi autem et ipsum efficaciam amisit.

Tandem, ad finem anni 1835, vitium malignum omnia circumjacentia devastat, totam pedis plantam cum calcis parte occupat, ichorem fundit copiosissimum, foetidissimum. Decrescunt vires. Sola spes, propter vitium in dies magis sese extendens, in amputatione ponenda. Die 24 m. Sept. in Nosocomium Academicum receptus, praeter malum topicum, nil morborum offerebat, quare die 30 Sept. a Cl. Suerman operatio instituebatur, felicissimo eventu. Nullo phaenomeno nocivo sanationis processus turbatur. Die 14 post amputationem ligaturae solutae, per earum fines, extra vulnus affixos, extrahuntur. Aeger omnino bene valet.

Disquisitio pedis anatomico-pathologica.

Partis amputatae examen anatomico-pathologicum sequentia obtulit.

Ulceratio largissima integram plantam pedis occupat, imo vero sese ab utraque parte superiora versus extendit et imprimis adscendit juxta malleolum internum. Carunculae satis notabiles, attamen volumine iis cedentes, quas in observatione nostra prima descripsimus, iisdemque planiores, integram superficiem apertam obsident. Haec limitatur per margines crassos, inaequales, admodum callosos. Digitorum apices retracti, informes atque ulcerationis participes facti sunt. Digiti majoris phalanx superior carie affecta ac pro parte erat consumpta.

Quo rectius praeparatum cum praecedenti comparari posset, sectio ossium perpendicularis serrae ope facta est, quae quidem felicissime cessit. Sic igitur apparuit, ossa tarsi et metatarsi omnino malo vacare. Imo vero nova materies fungosa ad calcaneum integra a periosteo separari potuit, ita ut hoc illaesum maneret. Reliqua ossa metatarsi musculorum flexorum carne erant obtecti. Huic autem superpositum erat stratum materiae degeneratae, ex qua excresceret

tiae fungosae originem habebat. Haec denique materia ad ipsos digitos coaluisse cum flexorum tendinibus ac reliquis digitorum musculis videbatur, ita ut hic massam informem degeneratam constitueret.

Apparet igitur ex hac descriptione, non ex periosteo exortum morbum esse; verum ex carie phalangum originem cepisse atque exinde magis magisque integumenta telamque adiposam fuisse affecta.

EPICRISIS.

Enarravimus jam casus eos, quorum observatio nobis contigit, atque ea addidimus, quae docuit sectio anatomico-pathologica. Convenit igitur, ut, epicriseos loco, colligamus quaedam, quae ad illarum historiarum interpretationem inservire possent.

Siquidem ad formam externam horum vitiorum attendimus, malam indolem indicare videntur. Excrescebant sub forma, quae inter praticos pejoris notae habetur, fungorum, floribus brassicae cauliflorae similium. Porro in lobos erant divisa et magnam novorum vasorum copiam continebant. Hoc, durante vigore ipsius mali, manifestum fuerat, et evidentius etiam apparebat post factam amputationem, quum injectio vasorum bene cessisset.

Malignitas ea magis etiam apparere videbatur ex vi, quam utrumque malum in partes vicinas totumque exercebat organismum. In priore aegro ad regionem inguinalem series glandularum intumuerat,

pultacea ad attactum, et hinc quodammodo sensum referens, qui in genuino habetur fungo medullari. Ante aliquot menses, quod in clinicis lectionibus retulit Promotor aestumatissimus, ipsi casus obvenerat, ubi ex tota tibia similes excrescebant fungi. Amputatione femoris pars morbosa feliciter sublata fuit. In inguine vero residebat tumor, ad adspectum glandulosus, qui brevi post encephaloïdis formam declarabat, mortemque afferebat. Examine anatomico causa intus in tibia adesse deprehendebatur. Ut autem ad nostros casus redeamus, conditio utriusque aegri generalis prognosin infaustioreni etiam reddebat. Scilicet dyscrasiae in utroque haud dubia erant indicia. Primus aeger praecipue vel colorem illum cutis pallido-flavum offerebat, qui ominosus, nec injuria, haberi solet. Porro emaciatio notabilis, collapsus faciei, oedema extremitatum in eodem observabantur. Alter aeger non quidem eo gradu deperierat; veruntamen et hic non pauca erant malae valetudinis atque dyscrasiae indicia.

Denique attendamus et ad causas, et ad vitam ante actam. Hae ejus erant naturae, ut non immerito ad vitii malignitatem contribuisse censi possent. In altero rudior nautae vita, diuturna in nosocomiis mora,

paupertas, abusus spirituosorum, animi pathemata deprimantia; in altero combustio neglecta prima juventute, vita paupera, diaeta tenuis, opificium grave, laesio continue repetita pedis morborum, dyscrasia universalis, animi conditio melancholica, — vel fallor vel tales causae et in solidorum tonum, et in humorum mixtionem, et vero etiam in vis vitalis energiam male profecto agere debent.

Veruntamen non tam mala erant indole descripta vitia. Documento sit felix utriusque amputationis eventus. Alter adhuc aeger, post tres fere exactos annos, meliori fruitur, quam antea, sanitate. Alter, praeterlapso unius et dimidii anni spatio, integer item est. Quod, ut mihi videtur, sufficit ad minorem horum fungorum malignitatem demonstrandam. Quanta enim celeritate in pseudoplasmate maligno, idem aut simile vitium denuo in alio apparet loco, sive vicino praecedenti, sive remoto. Integra constitutio aegri affecta videtur, sive malum, quod adfuit, consideretur tamquam causa hujusce affectionis, sive affectio generalis mali generatrix habeatur. Ita observavit clar. Promotor feminam, fungo medullari laborantem, qui ex ipso radii centro, enormem in modum, excrescebat atque, ulterius sese extendens,

cutem perforaverat, formamque induerat, placentae analogam, quae nomine fungi haematodis designari solet. Quotidie haemorrhagiae gravissimae vitae minitabantur. Brachium amputatum fuit, initio pleno, ut videbatur, successu. Anno vero post idem pseudoplasma in pectore sese evolvebat. Post mortem alteruter pulmonum materiae cerebriformi infiltratus inveniebatur. Excrescens fungus exitum in cavo pleurae reperuerat, unde hoc ichore erat impletum.

Quaeritur, cuinam causae minor malignitas in utroque casu, de quo jam agimus, sit adscribenda? Quaestio difficillima est. De singulis autem aegris singulatim primum agamus. Non igitur improbabile mihi videtur, fundum, sive organon, ex quo excrescit pseudoplasma, magnam vim habere in hujus malignitatem majorem minoremve. Quaenam sit vis, quam organi differentia in eundem morbum exserat, manifesto exemplo inflammationes docent. Quanta datur differentia hujusce processus pathologici pro varia organorum textura! Nonne etiam de parasitis probabile sit, matricem, ex qua excrescunt, hinc occasionem praebere majoris minorisve morbi malignitatis, unde fit, ut dispari facilitate cum integro sese communicent organismo. Hinc alia in causa malum perfectam

admitteret sanationem, sublato parasito una cum organo, in quo generatus fuerat, in alia causa contrarium locum haberet. Cl. Suerman nobiscum communicavit casum septuagenarii, qui dudum fungo carcinomatoso laboraverat, ad volam manus evoluto. Hocce malum quum neglectum esset et hac ratione plenariam attigisset evolutionem, manus amputationem necessariam reddidit. Octo autem annis post, idem senex, jam octogenarius, iterum nosocomium petiit, in altera manu simile vitium gerens, at in primo evolutionis stadio. Etenim, priori damno prudentior redditus, celeriore jam petebat medicinam. Malum sectione ovali extirpatum fuit, una cum aponeurosis parte, ex qua excrescebat. Senex, restitutus, domum rediit et adhuc illaesa sanitate supervivit. Hac in causa membranae fibrosae insidebat vitium, unde et benignioris, ut ita dicam, erat indolis, quam caeteroquin ab hujus generis malo exspectari possit.

Quum vero de fundi actione in parasitum, qui generatur, quaerimus, consentientes habemus auctores practicos, quos inter Klugium citare liceat, qui magna perspicuitate hanc doctrinam enucleavit (1). Admittit enim, omne pseudoplasma oriri

(1) Rust, *Magaz. für die ges. Heilk.* B. XVI. S. 211 sqq.

tantum ex textura, quae minori organisationis gradu sese habet et activitate majori productiva gaudet, imprimis ergo ex tela cellulosa et, quae huic proximae sunt, membranis. Causam hujus rei, quae et experientia, et cultro anatomico demonstratur, probabilem ponit in minori talium organorum vitalitate, qua novae vitae focum, ut ita dicam, qui sese efformat, restringere hand valeant, adeo ut originem ac incrementum pseudoplasmatis prohibere nequeant. Organa igitur, quae majori potentia vitali instruuntur, non bene matricis vices agunt, quandoquidem ipsa illa potentia agat in lympham secretam, sive pseudoplasmatis germen, et, hac ratione, impediat, quominus propriam vitam id acquirat, verbo quominus existat parasitus. Ita nunquam ex fibra musculari, nunquam ex ipsa glandulae substantia immediate tale existit malum, verum constanter ex cellulosa, quae singulos conjungit acinos.

Haec igitur ad pseudoplasmatis genesin: quod vero ejus structuram attinet, Cl. Kluge, hanc similem, imo vero proximam esse affirmat matricis naturae, i. e. organo, ad quod proprius mali fundus pertinet. Ita verruca ex cute, ganglion ex tendine,

polypus ex membrana mucosa, scirrhus ex glandulis, fungus medullaris ex neurilemate existit. Haec autem singula analogiam insignem cum matrice indicant.

Neque structura tantum, ex Auctoris nostri sententia, parasitus cum matrice convenit, sed et natura, vivendi modo, ideoque et malignitate aut benignitate, qualis generatim in diversis organis diversa deprehenditur. Tumores cystici, polypi et verrucae per integram non raro vitam absque notabili constitutionis turba existere atque evolvi possunt, quandoquidem laesiones functionum matricis, ex qua excrescunt, in genere effectibus gravioribus sese non prodant, neque ad morbos pertineant, qui integrum inficiunt organismum. Non vero idem in scirrho obtinet. Prouti enim ulcera glandularum, diu persistentia, aut majora, ex causis mere localibus generata, brevi integrum organismum in sympathiam ducant, acsi huic communicarent venenum, in ipso generatum, efficiantque dyscrasiam generalem, ita et scirrhus atque inde prodiens carcinoma, sibi jus vindicat dyscrasiam generalem procreandi, quae cuicumque curae locali obstacula objicit. Idem et ad fungus medullarem extendi debet. Analogia,

quam hic ad carcinoma ostendit, a Gallo-Francis, ex utriusque mali affinitate derivata fuit: unde et eum appellabant nomine carcinomatis mollis; eam autem potius ex matrice, unde originem capit malum, ex neurilemate scilicet, explicandam censet auctor.

Eadem principia et Cl. Schroeder van der Kolk, Praeceptor aestumatissimus, admittit (1), qui scilicet sequentem aphorismum ponit, confirmantem eam prorsus Klugii sententiam: » Malum parasiticum fabrica et natura convenit cum fundo, vel parte, in qua crescit; itaque ejus effectus in reliquum corpus a natura fundi pendet.»

Ex his igitur apparet, sedem pseudoplasmati multum facere ad ejus structuram, naturamque. Sic et insignis differentia existit inter fungum ex membrana ossium medullari excrescentem, eumque, qui ex periosteo oritur. In illo enim integrum os corripitur, dilatatur, pro parte in massam sarcomatosam, interjectis ossium particulis mutatur. Initio quidem periosteum integrum obtegit tumorem ossis; attamen subinde similes tumores fungosi primitive in periosteo deprehenduntur. Structura osteosarcomatis, hoc

(1) Observ. Anatomico-pathologici et practici argumenti, auctore J. L. C. Schoeder van der Kolk. Amst. 1826. p. 49.

enim nomen tali malo competit, aliquantulum quidem differt, prouti os aut magis solidum, aut fungosum existit; attamen in genere, postquam os jam satis emollitum est ac tumefactum, massa est satis homogenea, aciculis osseis intermixta, griseo-alba, fere vasculis haud ita multis gaudens, quae cartilaginis speciem quodammodo refert et formatur ex multis fibris, albumine magis minusve conglutinatis. Sensim textura rarior redditur, formantur cellulae, nunc majores, nunc minores, quae gelatina replentur. Jam vero inflammatur tumor, incrassantur membranae, cellulas investientes, et secernunt sive massam amorpham, albuminosam, sive telam cellularem, albumine plenam. Dilatantur vasa et in periosteo et in interiore tumore, formantur cava variae magnitudinis, quae sanguine replentur. Frequenter etiam sanguinis effusiones in massa medullari obtinent. Simul inde ab ossis centro innumerae fibrae aut laminae osseae excrescunt, quae varia directione per tumorem ducuntur. Hic, continue emollitus et volumine auctus, tandem concrescit cum partibus musculosis et cutaneis, hasce in certo quodam loco perforat, unde fungus magis minusve luxurians excrescit (1). Tantis autem

(1) Vid. Otto, *Lehrb. der Pathol. Anat.* p. 153 atque auctores, qui ibi citantur.

morbi horreni progressibus cito succumbit aeger, citius etiam, si ars intempeſtiva ipſum parte affecta liberare ſtudeat, regenerato nempe alio loco malo.

Hic igitur decuſus eſt oſteosarcomatis genuini. Ab hoc autem quantum diſcrepat malum, quod in prima noſtra obſervatione deſcribitur. Recte hoc a Walthero (1) nomine *exostosis fungosae* deſcribitur, quae tamen et ipſa ab exoſtoſi, ſive hyperoſtoſi vulgari diſtinguatur. Etenim in hac ultima revera aucta eſt functio periosteſi, ita ut nova materiae oſſeae ſecretio obtineat. Inflammatio igitur aut hypertrophia potius obtinet, in qua illius membranae fibroſae functio aucta eſt atque exaltata. In caſu autem noſtro indicia quidem adſunt morboſae huiusce affectionis, unde ipſum oſ durius, novaque ſecreta varia ſub forma oſſeae materiae infra periosteum erat; veruntamen praecipua ſive degeneratio, ſive nova generatio ex maſſa fibroſa conſtabat, eademque ſatis erat vaſculoſa.

Quod igitur ad tumoris malignitatem attinet, ex dictis apparere nobis videtur, quanta ſit differentia inter verum oſteosarcoma atque exoſtoſin fungoſam.

(1) Vid. *System der Chirurgie*. Berlin 1833. I p. 412.

Simile etiam est discrimen inter cariem periphericam, cariemque centram, de qua supra verbo diximus, quae vero item frequens paedarthrocaciae causa existit. Scilicet hoc malum, quod non inepte ab antiquis *spinae ventosae* nomine insigniebatur, quantopere malignitate ac vehementia cariem superficialem superet, non opus est multis verbis demonstrare. Similiter, ut ad argumentum nostrum haec convertamus, exostosis fungosa minori esse violentia solet, quam osteosarcoma. Confitemur quidem, vel ex periosteio pessima mala generari posse, aliis accedentibus conditionibus infaustis; hinc autem non tollitur sententia, quam exponere studuimus, pertinere parasi sedem inter momenta, quae plurimum ad intimam mali naturam efficiant.

Haec igitur ad primum, quem retulimus, casum attinent, alterum autem priori haud disparem esse vidimus. Excrescentiae enim fungosae, continue auctae, medicationi cuicumque resistentes, complicatae cum laesione locali, quae per longam annorum seriem persisterat, habitum externum utriusque mali analogum esse ostendebant. Examen autem anatomico-pathologicum docuit, hac in causa periosteum sine labe esse. Etiam si igitur profunda degeneratio in culpa

esse videretur, malum tamen aliū fontem agnoscebat. Cariem in causis esse, dubitari non potest. Ulceratio autem fungosa, quae progressu suo malignioris videbatur naturae, vitium et ultra hunc fontem sese extendisse, manifesto indicabat. Neque mihi improbabile videtur, ipsas aponeuroses excrescentiis fungosis praebuisse fundum. Prouti ergo in priori casu ex periosteo, ita et hic ex membrana fibrosa excrevisse malum, verosimile est.

Pauca de curatione dicenda supersunt. Ex dictis autem sufficiens mihi videtur indicata esse causa, quare utrumque, de quo diximus, malum amputationem bene tulerit. Fatendum omnino est, symptomata quae dicuntur, constitutionalia huic operationi minus favisse. Attamen exempli instar uterque casus inseruit, haud talem semper hisce symptomatibus fidem esse habendam, ut absolute ab indicatione auferente deterreant. Contra, si ejus naturae sint, ut doceant, unam aegroti salutem in mali eliminatione esse ponendam, credimus, ancipitem medicinam indubiae morti esse praeferendam. Quoties igitur, sub conditionibus externis faustis, regimine vitae adaequato et cura interna convenienti, malum locale progressu suo vitam exhaustire constet, tentandam potius esse aegri

conservationem, operationis ope, quam miserum suae sorti derelinquendum esse, existimamus.

Accedebat autem ad indicationem faciendam, in utroque casu nostro, ipsius mali habitus. Scilicet propria quidem ejus sedes ante amputationem non nisi hypotheticè determinari poterat; attamen apparebat, non rem agi maligni illius osteosarcomatis, aut etiam paedarthrocaciae. Ipsa tibia volumine vix erat aucta. Neque praeterea metus erat genuini fungi medullaris, cujus, uti inter chirurgos constat, ea est malignitas, ut a multis pro morbo constitutionalis salutetur. Exstirpatum enim mox alio in loco vehementius insurgit, ita ut profecto de hoc malo, si de quo alio, valeat Hippocraticum illud de canceris occultis effatum. » Eos non curare praestat; curati enim citius pereunt; non curati vero diutius perdurant.» In his igitur chirurgi officium ad diaetam ac regimen vitae restringitur, cura vix nisi symptomatica esse potest. Vitia autem, quae huic disquisitioni materiam praebuere, ut uno verbo declaremus id, quod curam determinabat, revera erant localia. Hinc tuto auferri poterant, quin alio in loco sese proderent, imo vero, ipsis sublatis, exstinguebatur focus, qui integrum corpus consumptione minuitabatur.

Haec quidem sunt, quae de aetatis morborum historiis mihi animadvertenda videbantur. Non quidem difficile esset, plura de fungorum pathologia ac therapia expositis adjicere momentis. At vero, quod initio jam monuimus, haudquaquam finis est hujusce descriptionis, ut absolutam ac generalem hujusmodi malorum tractemus historiam; sed tantum, ut ea proferamus, quae ad illustrandos casus nostros inservire possent. Hoc, spero atque confido, reputet, si quis multa in hac epicrisi desideret Lector:

EXPLICATIO TABULAE.

Fig. 1. habitum externum refert fungi, cujus descriptio observatione nostra primâ continetur. Carunculae fungosae extra cutem prodeuntes apparent.

Fig. 2. Tibiam proponit, perpendiculariter serra separatam, una cum partibus mollibus dissectis.

A, A, A, A, tibia.

B, canalis medullaris.

C, C, pars ossis corticalis.

D, pars ossis spongiosa.

E, E, pars ossis, nova secretione inaequalis.

F, F, periosteum cum fungoso inde excrescenti.

G, G, carunculae fungosae, a latere conspiciendae, quae in Fig. 1 a parte anteriore apparent.

H, tendines.

I, musculi, paulo supra locum, ubi cum nova materie confluunt.

K, tela aliposa degenerata.

T H E S E S.

I.

Egregie Clar. Bakker (de natura hominis P. I. pag. 3): Medicina, praeter rudem atque omnino empiricam, sine sana Physiologia ne fingi quidem potest aut cogitari.

II.

Negamus eorum sententiam, qui statuunt, omnia principia proxima corporis animalis in sanguine fere praeparata adesse.

III.

Naturae vires medicatrices, uti dicuntur, haudquaquam peculiare virium genus sistunt, verum ex eodem, ac reliqua phaenomena vitalia, proveniunt fonte.

IV.

Dentitio, etiamsi phaenomenon sit naturale, morbis tamen, ipsique morti opportunitatem praebere potest.

V.

Mercurius dulcis non ad antiphlogistica strictè sic dicta pertinet; nihilominus autem in inflammationum cura insignem locum occupat.

VI.

Bene Cicero praxeos dignitatem vindicat: » Nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis praecepta perceperint, quidquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt.»

VII.

In lento phthiseos decursu hirudinum applicatio venae sectionibus praeferenda videtur.

VIII.

In incipiente phthisi, pulmonum ipsiusque thoracis dilatatio, adhibito inhalationis apparatu, qualem commendat Doct. Ramadge, admodum utilis est.

IX.

Egregie Frank: » Sic ut apis quovis ex flore mellis quidquam sugit, ita et medicus in cujusvis systematis nectario boni quid invenire potest.»

X.

Plurima enim systemata veris fundamentis innituntur, quae autem ultra limites suos extensa fuerunt.

XI.

In spondylarthrocacia Rustii methodus, in genere, prae Pottii est praeferenda.

XII.

Laudamus injectionum excitantium usum, quem commendavit Doct. Lloyd ad teleangiectasiae curam,

XIII.

In quocunque partu matris potius, quam infantis vitam curet obstetricator. Attamen haud licet hunc certo mortis periculo exponere, ut incertum a matre avertatur.

XIV.

Versio foetus in caput, si possit institui, praeferenda versioni in pedes.

A MON AMI

D. B. VAN HATTUM.

Mieux vaut rester maçon, a dit certain poète,
Que de faire des vers sans rime ni raison ;
Et tu veux, mon ami, que je me compromette,
Moi, qui ne connais rien que la conjugaison ?
En vérité, c'est trop ! le talent s'y refuse ;
Mais fier de tes succès, j'aime à t'offrir mes vœux :
Les battemens du cœur, en dépit de ma Muse,
Sauront être compris de tous cœurs généreux !
Eclairé par l'éclat de l'astre radieux ,
Qui luit sur les enfans de notre Académie,
Abjure de *Tant-pis* l'indiscrète manie ;
Ne sois ni Sangrado, ni Purgon ; sois TANT-MIEUX !

(Sous lui, dit La Fontaine, on manquait aux aïeux).
 Si j'apprenais un jour que le sort t'est prospère,
 Mes vœux alors pour toi seraient réalisés,
 Et l'absence, par là, devenant moins amère,
 Mes regrets à la fois se verraient apaisés.
 Pense à ces temps heureux ou présidait la joie;
 Ils ne reviendront plus embellir nos plaisirs:
 Aux chagrin, aux soucis tu te verras en proie
 Console-toi souvent par les doux souvenirs
 De tant de bons amis, dont tu connus le nombre;
 N'oublie point surtout; mais je ne fus qu'une ombre
 De la franche amitié dictée par ton cœur:
 Eh bien! n'oublie pas mes vœux pour ton bonheur!

G. C. VERENET.

In de eerste plaats, wanneer de
 In de tweede plaats, wanneer de
 In de derde plaats, wanneer de
 In de vierde plaats, wanneer de
 In de vijfde plaats, wanneer de
 In de zesde plaats, wanneer de
 In de zevende plaats, wanneer de
 In de achtste plaats, wanneer de
 In de negende plaats, wanneer de
 In de tiende plaats, wanneer de
 In de elfde plaats, wanneer de
 In de twaalfde plaats, wanneer de
 In de dertiende plaats, wanneer de
 In de veertiende plaats, wanneer de
 In de vijftiende plaats, wanneer de
 In de zestiende plaats, wanneer de
 In de zeventiende plaats, wanneer de
 In de achttiende plaats, wanneer de
 In de negentiende plaats, wanneer de
 In de twintigste plaats, wanneer de
 In de een-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de twee-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de drie-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de vier-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de vijf-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de zes-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de zeven-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de acht-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de negen-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de tien-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de elf-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de twaalf-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de dertien-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de veertien-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de vijftien-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de zeventien-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de achttien-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de negentien-en-twintigste plaats, wanneer de
 In de twintig-en-twintigste plaats, wanneer de

Fig 2.



H. V. A. I. Ferk. aut. vult. in. Aquila del.

Fig 1.



Staudel. Gebroed. Weyer te Utrecht.

I. De sensu et motu animalium in
generali, praeferuntur tamen
sensu physiologico ne huiusmodi

II

De sensu et motu animalium in
particulari, praeferuntur tamen
sensu physiologico ne huiusmodi

III

De sensu et motu animalium in
particulari, praeferuntur tamen
sensu physiologico ne huiusmodi

IV

De sensu et motu animalium in
particulari, praeferuntur tamen
sensu physiologico ne huiusmodi